Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



hospes eram. et collegistis me. nudus eram. et operuistis me.
et cetera. filii ergo huius stulti ante portam elati sunt. sed in
porta conterentur. quia amatores huius seculi in presenti uita
superbiunt. sed in ipso regni aditu eterna animadversione
feriuntur. Bene autem subditur. Et non erit qui eripiat. Illos
quippe ueritas ab eterna ad uersitate eripit. quos in temporalibus
prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi-
ri non ualet eripi. quia iniqui eum quem per disciplinam habere
neglegunt patrem afflictionis sue tempore per adiutorium non
inuenient ereptorem. Sequitur. Cuius messem famelicus come-
det. Habet etiam stultus messem. quando iniquus quisque
donum recte intelligentie accipit. scripture sacre senten-
tiis docetur. bona loquitur. sed tamen nullomodo hoc quod dicit
operatur. uerba dei profert nec tamen diligit. laudando exag-
gerat. uiuendo calcat. Quia ergo stultus iste recte intelligit.
et dicit. sed tamen hoc operando non amat. messem habendo ieiu-
nat. Quam nimirum famelicus comedit. quia is qui ad deum sciis
desideriis anhelat discit quod audit. agit quod didicerit. et
dum doctoris prauitatem recta predicatione reficitur. quod aliud quam
stulti fruge saciatur. An non famelicos suos ueritas ut
stulti messem comederent admonebat. cum per desideria sancta
flagrantibus de phariseis preceperat dicens. que dicunt facite.
iuxta opera uero eorum nolite facere. Ac si aperte diceret. Verbis mes-
sem loquendo excolunt. sed hanc male uiuendo minime
contingunt. Uram ergo famem messis ista reficiat. quia uobis
hanc per fatuitatis sue fastidium seruant. Bene autem subditur.
Et ipsum rapiet armatus. Antiquus namque hostis quasi in
ermis uincitur. cum mala aperte suggerens humane menti